



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani, Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Alexandri Vilthemii Luxenburgensis Soc. Jesu, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

Ignotus ipse; vapulare, Fernande,  
 Fortasse meruit. Pegasus quod offendit,  
 Haud jure vatem criminaris; in toto  
 Nil ille fecit elegantius libro.  
 Pes namque claudus Pegasi, ut tua fecit  
 Tam dulce carmen profiliret e vena.

ALEXANDRI VILTHEMII  
 LUXENBURGENSIS SOC. JESU,  
 C A R M E N,

*Quo Auctori de suis & adoptivis Poematibus editis  
 gratulatur.*

**F**ERNANDE Princeps, clara PRINCIPIS MONTIS  
 Propago, Paderæ fontium sacer Princeps,  
 Plaudente Phœbo Laurea Coronatus  
 Veterum reducis gloriam Camenarum.  
 Si ludis elegos, Naso seculi nostri es,  
 Hoc amplius, quod purior tibi vena.  
 Si fidibus apta, barbitove depromis,  
 Horatianæ provocas Lyræ plectra.  
 Si nemora raptō Daphnidi parentare  
 Doces avena præfica querelarum,  
 Tibi Poëta Mantuanus assurgit.  
 Idem ipse quidquid uspiam meret Pindo,  
 Vatum bonorum, Vallios, Favoritos,  
 Gradios, Masenos, Torckiosque, Pollinosque,  
 Et Rondininos, quotquot & brevi versu  
 Memorare longum est, inseris tuum in nomen,